



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 8. Vbi verum Fortunati marsupium reperiatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

dis incederet pedibus? cui ille respondit: *Calceis careo*. Mox illa, lapidem, inquit, illum vides? (& digito lapidem monstrabat) sub eo quatuor denarios reperies, eos tolle, & calceos eme. Adit lapidem, inuenit pecuniam, & exultante animo ad gratiæ tantæque liberalitatis Matrem recurrit, eique gaudibundus nummos ostendit. At illa quoties, posthac calceis, tabellis, aliâque scholastica supellectili indigebis, eum lapidem adi, semper inuenies monetam. Quid puerilis ætas, quid mulier, tacitum secretumue seruat? Igitur neque potuit ista res vel ab Hermanno puero, vel ab Hermanni matre femina diu cæleri. Vulgata est. Rescientes reliqui etiam pueri, & ipsi eundem lapidem adierunt, mouerunt, sed nihil repererunt: quia non itidem, vt Hermannus, coluerant thesauri monstraticem. Tanti refert, vnde quis non opem solùm, sed opes etiam petat.

§. VIII.

Ubi verum Fortunati marsupium reperitur?

Fabulæ Fortunatum quendam fingunt, in silua, Deam obuiã habuisse, quam Fortunã vocant, à qua marsupium dono acceperit, eius virtutis, vt quoties vellet, ex eo aureos num-

num.

numeros posset educere, tanquã è fonte quodam pereñi, aut potiùs fluuio & Pactolo auri. Fingunt hæc. Somnia sunt Parnassi. Felicior Hermannus fuit Fortunato. Sub lapide semper pecuniam reperit, quoties quæsiuit. Docuit ergo, non à Fortuna, sed à MARIA, eiusq; in primis Filio, opes sustentationi necessarias esse flagitandas. Neq; Midas Phrygiæ rex aurũ quæsiuit, vbi debuit: quæsiuit apud Deũ, sed falsum, & qui ad dilapidãdas, non cumulandas diuitias est opitulatur. De vera in verũ Deũ fiducia à S. nostro Ignatio discenda, infra memorabo: hinc pecuniæ insperatò suppeditatæ exempla è vita illius appono.

§. IX.

S. Ignatij Loyola in Deum fiducia.

Roma, Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus, propter obitum Pauli III. Pont. Max. in noui Pontificis electione occupatis, inopia nostri premebantur: quibus extremam etiam famem metuebant multi, humana ratione rem aestimantes. Ignatius verò eo ipso tempore familiam suam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis Candidatos in Societatem admisit: multis eius animum admirantibus, quibus, quod consecutũ est, admirationem ademit. Nam hoc ipso tempore cum aliquando

Ouid. lib. II. Metam.

Petr. Riaden. lib. vi. vitæ S. Ignatij cap. 9.